



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

56. De voce Patris cælitus allapsa.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. *Matth. 17. v. 2.* Transfiguratus est coram ipsis : & vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, quæ lia fullo non potest super terram candida facere. *Marc. 9. v. 1. & 2.*

III. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias : *Matth. 17. v. 3.* & erant loquentes cum Iesu. *Marc. 9. v. 3.* Et ecce duo viri loquebantur cum illo : erant autem Moyses & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Ierusalem. *Luc. 9. v. 30. & 31.*

MEDITATIO LVI.

De voce Patris celitus allapsâ.

Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes, viderunt maiestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad IESUM : *Luc. 9. v. 32. & 33.* Domine, *Matth. 17. v. 4.* Rabbi, *Marc. 9. v. 4.* Præceptor, bonum est nos hic esse. *Luc. 9. v. 33.* Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, & Eliae unum : *Matth. 17. v. 4.* nesciens, quid diceret ; *Luc. 9. v. 33.* erant enim timore exterriti, *Marc. 9. v. 5.*

II. Hæc

II. Hæc autem illo adhuc loquente, ecce facta est nubes lucida, & obumbravit eos. *Matth. 17. & 5. Luc. 9. & 34.* & timuerunt, intrantibus illis in nubem. Et ecce vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. *Matth. 17. & 5. Marc. 9. & 6. Luc. 9. & 34 & 35.* Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. *Matth. 17. & 6.*

III. Et accessit Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum IESUM. *Matth. 17. & 7. & 8.* Dum fieret vox, inventus est Iesus solus. *Luc. 9. & 36.*

MEDITATIO LVII.

Discipuli prohibentur hanc visionem evulgare.

DEscendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. *Matth. 17. & 9.* Nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit. *Marc. 9. & 8.*

II. Et verbum continuerunt apud se, conquiresentes, quid esset; Cum à mortuis resurrexerit. *Marc. 9. & 9.*